



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus XX. De Blasphemiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

TITULUS XX.
DE BLASPHEMIIS.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 26.

§. 240.

Blasphemia est contumelia in DEum. **B**LASPHEMIA, usu jam recepto, sumitur ad significandam derogationem divini honoris ac bonitatis. Sic S. AUGUSTINUS 48.) dicit: est autem Blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis, itaque jam vulgo Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de DEO dicere: quia de hominibus dubitari potest, DEUS autem sine controversia bonus est. Definatur itaque Blasphemia, quod sit, *verbum maledictionis, convitii, seu contumeliae in DEum.* Injuria verbalis erga hominem dicitur convitium; injuria in DEum dicitur blasphemia. Est interna vel externa. Vox blaphemia derivatur quidem a græca voce *φωβω*, dico, loquor; consequenter proprie fit per verbum: nihilominus reales injuriæ DEO illatæ huc referuntur. Alia est immediate contra DEum, alia contra Sanctos, & maxime B. Virginem

48.) L. 2. de Morib. Manich. c. 11.

De Blasphemiis. 295

nem 49.) in quantum scilicet maledicentia in Sanctos redundat in DEUM, quod fit etiam per injurias reales, qualis est contumeliosa imaginum sacrarum, aut Christi cruci affixi tractatio; aut hostiæ consecratæ: item per picturam aut sculpturam contumeliosam. Huc revocantur execrationes per certa membra Christi, per ejus cruorem, crucem, Sacramenta, præsertim si adjicitur nomen DEI, aut declaratur contemptus mysteriorum Divinorum per scommata, aut contumeliosa verba. Verbales etiam injuriæ Sacerdoti factæ ad blasphemias verbales referuntur, si contumelia inde in DEUM quodammodo redundat, ut si quis Sacerdotem sacra tractantem, vel intuitu sacri muneris laceffit. Alia est Blasphemia simplex, alia Hæreticalis, quando aliquid affirmatur de DEO, quod ipsi non convenit; vel negatur, quod ei competit. Alia est atrox, alia non atrox. Omnis quidem injuria in DEUM est atrox, sed tamen dantur gradus atrocitatis.

§. 241. Minuitur nonnunquam *Ejus va-*
lita blasphemix ex superstitiosa *ria spe-*
T 4 *tate, cimina.*

49.) C. 2. de Maledicis,

tate, nonnunquam ex simplicitate & rusticitate. Pietas inepta excusare potuit Gentiles, qui apud Lindum, Rhodi oppidum, Herculis sacra ex ipso Herculis jussu, celebrabant maledictis & execratione, eaque pro violatis habebant, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum 50.). Sunt nonnunquam aliqua locutiones, quae juxta proprium verborum sensum blasphemiam saperent; sed innocens earum usus est notus omnibus. Unde THEOPHILUS RAYNAUDUS 51.) forte non serio scrupulo sibi ducit, adire monasterium, ubi Moniales ascitis sibi nominibus appellantur *Barbe de la tres sainte Trinite, la Mere du S. Esprit, la Mere du Verbe Incarné, la Soeur du S. Esprit* &c. Licet enim talia nomina in lingua germanica & latina nihil absurdum sonent; gallice tamen expressa, qua lingua passim ejusmodi Moniales etiam in Germania utuntur, possent dare occasionem risus; in his autem mysteriis locus non debet

50.) Lactantius Divin. Instit. lib. I. c. 21.

51.) Tom. 16. Heterocl. Spirit. sect. 5. punct. 2. fol. 498.

bet præberi jocis. Blasphemia est, si verba S. Scripturæ ad jocos scurriles applicentur. Si Myſteria Fidei aut Paſſionis Chriſti in Theatro exhibeantur, plerumque admiscuntur aliqua blasphema animo non malo, aut ſaltem inferuntur fictiones, & alia tragœdiis propria, quod indecorum & contra Majeſtatem Myſterii eſſe cenſetur. Vix a blasphemia excuſantur Adulatores, dum Principes ſuos æquiparant, aut præferunt DEO: minus excuſantur multi hodierni Liber-*tin*i (*Les Eſprits forts*) qui dubia, jocos de veritate Religionis Chriſtianæ, de autoritate S. Codicis, de officio Sacerdotum, ſuis quotidianis colloquiis inſpergunt. Hæc eſſi veræ blaſphemix non ſint, tamen extra ordinem puniuntur.

§. 242. Sicuti furta ſacrilega gra-*Pœna*
vius puniuntur, quam profana; ita *Blasphe-*
injurioſa verba in DEum jacta, lon-*morum,*
ge gravius ſunt punienda, quam con-
vitia contra homines, præſertim quia
per ejuſmodi impietatem provocatur
ira DEI ad graviffima mala orbi im-
mittenda, prout obſervat JUSTINIA-

T §

NUS

nus Imperator 52.), & MAXIMILIANUS Rex Romanorum 53.). Decernitur quidem supplicium mortis blasphemantibus, sed tamen mitigatur pœna, si prima vice, vel ex gravi ira fiat, modo ira non oriatur ex levi vel injusta causa, forte ob pecuniam in lusu perditam. Plures Imperii Constitutiones colliguntur, & pœnæ aggravantur in Reformat. polit. Augustæ anno 1548. ubi singulariter agitur de blasphemiiis milicum. Censent aliqui 54.), pœnam mortis hodie in desuetudinem abiisse: sed adhuc eam vigere oculatus testis sum; requiritur tamen ad hoc supplicium Blasphemia atrox, quæ talis sit *ut* *ex* *xxv*, juxta arbitrium Judicis, quod arbitrium etiam ad pœnam mortis in hac causa ob aggravantes circumstantias se potest extendere. Juxta Codicem Criminalem Baviaræ 55.) ad pœnam

52.) Novell. 77. c. 1.

53.) In Legibus Imperii WORMATIÆ positis anno 1495. art. 10.

54.) Vid. MENOCH. de arbitr. Jud. Caf. 375. seq. TIBER. DECIANUS tract. crim. lib. 6. c. 6. Uterque varia ex Jure Civill & Canonico de Blasphemiiis colligit.

55.) Part. 1. c. 7.

pœnam mortis devenitur, si quis post duas correctiones se non emendet, proin incorrigibilem exhibeat: prima mox vice pœna gladii dictatur, si quis imaginibus DEI & Sanctorum, vel etiam Sacerdoti in administratione Sacramentorum magnam contumeliam infert; imo pœna ignis statuitur, si quis similia perpetrat contra consecratam hostiam. Juxta Jus Canonicum, præter alias antiquiores pœnas 56.), hodie præcipuam auctoritatem habet Constitutio GREGORII IX. 57.), ut Blasphemus in septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto, dum aguntur Missarum solennia, existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sexti feriis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus &c.

§ 243. Id bene notandum, quod *Et eorum,* in his Constitutionibus Juris Civilis qui se & Canonici, etiam graviter puniri reddunt. jubeantur illi, qui ejusmodi blas. partici-
phemias pes.

56.) In C. 10. XXII. q. 1. & inter Canones Pœnitentiales.

57.) C. 2. de Maledicis.

phemias vel viderunt, vel audierunt, & tamen ad Judicem non detulerunt: is ipse Judex autem se criminis & poenæ participem reddit, qui delicta hæc ad se delata non punit, sed potius dissimulatione sua fovet, præsertim ex inepto illo principio: *Ubi non est accusator, ibi non est Judex*, cum tamen in publica platea fors ipse talia frequenter audiverit. Sic gravem reprehensionem commeritus est Magistratus, qui hominem mentis impotem non coercuit, cum sæpius per publicas vias blasphema dicteria magnis clamoribus effutiret: existimatum enim, venenatas aquas ab urbe averti debere, per quoscunque canales illæ auribus juventutis se insinuerent.

TITULUS XXI. DE SORTILEGIIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 21.

Agitur

§. 244.

*hoc loco de Sorti-
bus divi-
natoris.* **P**ER Sortem intelligitur signum eo sine assumptum, ut ex ejus eventibus divinitu aliquid occultum innotescat. In Jure Canonico Sortilegia opponuntur geminæ virtuti, cum Justitiæ propter